

affirmarunt, Marcum cœlo receptum esse. Ob cuius honorem templa, columnæ, multaque alia decreta sunt. Cuius & statua apud Basilicam Lateranensem, vbi natus & educatus creditur, pacificatoris Equestris hodie cernitur.

In huius Numismate, Imperator in curru variis imaginibus exsculpto, quique quatuor trahitur equis, cum fratre sedens, dextra ramum Lauri tenens, videtur. Currum præcedunt milites, fercula, in quibus imagines deuictorum pendent, gestantes : quos captiui alii sequuntur, cum subscriptione: TRIB. POT. XXII. IMPER. IIII.



Numisma Imperatorum M. ANTONINI, ET L. COMMODI cum simul Imperium tenebant, extat. In cuius altera parte, statua Victoriæ alatae incedentis, vtraque manu globum tenentis, cernitur, cum inscriptione: VICTORIAE AVGVSTORVM.



ANNIVS VERVS, ex Anno Vero iterum Cos. & Praefecto, qui in Patritios Vrbi ascitus est à Vespasiano & Tito Censoribus, natus : pater M. Antonini Philosophi Imperatoris in Prætura discessit.

I DOMIT